

et tota rerum facies immutata fuerit: atque id multo magis valet, si desint monumenta clara ad ideam illius epochae distinctam ef-  
formandam. Hinc omnes impostores qui se antiquiores in libris suis fecerunt citius serius detecti sunt, ut accidit inter coeteros Philostrato in vita Apollonii Thianaei, et, uti communiter censent eruditi, etiam Aristee qui se simulat coaevum et oculatum testem historiae versionis Alexandrinae quam narrat. Quapropter si ostendere possumus ea quae in libris N. T. legantur conformia esse iis quae aliunde scimus de aetate Christi et Apostolorum et de personis Auctorum quibus vidimus eos libros semper adscriptos fuisse, ex hoc vehementer confirmabitur genuina eorum origo iam argumentis externis probata: praesertim si consideremus Palaestinae regionem et Hierosolimam magnas subisse mutationes paulo post Christi mortem. Siquidem capta urbe et solo aequata, destructo templo, dispersa Iudaeorum gente, vix ullum vestigium remansit antiqui status regionis illius quae est theatrum historiae a nostris Auctoribus narratae. Nec facile fuisset aetatis sequentis scriptoribus omnia illius temporis adiuncta praesertim minutiora et leviore momenti recollere, et rerum ac personarum statum veluti reconstruere ob defectum accuratae descriptionis, et geographiae subsidiarium, quae tunc imperfectissima erant. Quod si nunc eruditis multa de illius aetatis adiunctis nota sunt, quibuscum narrationes librorum N. T. conferre licet, recolendum est plurimum saeculorum studio et multorum collatis laboribus huiusmodi cognitionem partam esse, expilatis scilicet profanis omnis generis auctoribus, consultis antiquis monumentis, nummis, inscriptionibus, adhibita in subsidium Graeca et Hebraica philologia etc., quae omnia a nostris Auctoribus perferri non poterant, praesertim cum omnino rudes et in profana literatura hospites eos fuisse certum sit, et adversarii ultro admittant.

Notamus insuper indicia, de quibus loquimur eo magis ad probandum valere, quo magis ex una parte minuta sunt et ad factorum substantiam non pertinentia, et ex alia parte obiter et absque studio in narratione occurrunt.

Postremo animadvertimus, indicia haec interna non esse singulatum consideranda, quia sic nullam fere vim praeseferrunt; sed in suo complexu, ita enim accepta moralem parit evidentiam, et

probandi vim habent, et quamvis hoc intelligendum sit intra eos limites quos initio huius disputationis assignavimus.

Hinc de argumentorum interiorum indole ac valore praenotatis ad eadem exponenda accedamus.

Quoniam vero non omnia indicia eundem valorem habent, ad duas classes ea revocabimus: alia scilicet generatim produnt *aetatem*, qua libri scripti sunt, alia magis in specie ipsas *Auctorum personas* manifestant.

I. Indicia aetatis Apostolicae.

Cum huiusmodi indicia multa et varia sint opportunum erit eadem ad certa quaedam capita reducere.

1<sup>o</sup> Primum caput indiciorum respicit statum *politicum* et *religiosum* Hebraeorum aetate Christi et Apostolorum. — Quod pertinet ad politicum regimen ex auctoribus profanis praesertim Tacito et Iosepho Flavio constat Palaestinam pluribus rapidisque politicis mutationibus per illam aetatem obnoxiam fuisse; scilicet post Cassii et Bruti mortem Herodem gente Idumaeum ab Antonio potestatem super Iudaeos obtinuisse, quae postea, Caesaris Augusti sententia, regalis prorsus evasit (V. Tac. Hist. L. V, c. 9) (1): ita tamen Herodem regnasse ut a Caesare omnino independens non esset. Siquidem Iosephus narrat ob infelicem exitum belli contra Arabes gesti Augustum exclamasse « se Herodem aliquando in amicis habuisse, nunc vero pro subdito habiturum » (Antiq. L. XVI, c. 9, n. 3); itemque mortuo Herode eiusdem testamentum ab Augusto fuisse immutatum (Antiq. L. XVII, c. 8, n. 1 et de Bello Iud. L. II, c. 6). Tunc vero regnum Herodis tripartitum fuisse, ita ut Archelao Herodi patri succederet in regimine Iudaeae sub nomine Ethnarchae, Philippus vero et (Herodes) Antipas eius fratres sub nomine Tetrarcharum reliquas provincias gubernarent, ille scilicet Batanaeam, Trachonitidem et Auranitem, hic vero Peraeam et Galileam (2).

(1) « Regnum ab Antonio Herodi datum victor Augustus auxit. »

(2) Iosephus loc. cit. ait: « Et tunc quidem, Caesar... Archelao dat regni dimidium..... reliquum vero dimidium in duas Tetrarchias divisum » duobus aliis Herodis filiis tribuit unam Philippo; alteram (Herodi) Antipae, qui cum Archelao de regno contendebant. Et hinc quidem in ditionem cedebat Peraea et Galilaea..... Philippo subiciebantur Batanaea, et Trachon et Auranites..... Archelai vero ad Ethnarchiam pertinebant et Idumaea, et Iudaea omnis, et Samaria » (V. etiam Tac. loc. cit.).

Cum autem Archelaus tyrannice regnum administraret, decimo regni anno poscentibus Iudaeae et Samariae primoribus a Caesare in exilium pulsus est, atque eius Ethnarchia ad romanam provinciam redacta a romanis praesidibus seu procuratoribus gubernari coepit. Haec refert Iosephus Flavius Antiq. L. XVII, c. 43, n. 2 (1), et De Bello Iud. L. II, c. 9. ubi ait: « Archelai autem Ethnarchia in provinciam » redacta reliqui Philippus et Herodes cognomine Antipas Tetrarchias suas administrabant. » Inter praesides autem romanos recensentur a Iosepho Pilatus (De Bello Iud. L. II, c. 9), Felix (ibid. c. 12, n. 8) et Festus (ibid. c. 14, n. 1 et Antiq. L. XX, c. 9). Rursus autem post Pilati tempora reges apparent in Palaestina. Narrat enim idem auctor Herodem Agrippam primum a Tiberio in carcerem coniectum, postea a Caio liberatum et regem constitutum in ditione Philippi et Herodis Antipae, denique edicto Claudii Caesaris etiam Archelai Ethnarchia auctum fuisse, atque ita in universa ditione Herodis Magni avi sui regnasse (Antiq. L. XVIII, c. 7, n. 10 et L. XIX, c. 8, n. 1). Denique Agrippae regi filius successit uti Iosephus refert De Bello Iud. L. II, c. 42. « Post obitum autem » Herodis Claudius Agrippam filium Agrippae patris regno praefecit » (scilicet in Chalcidis ditione), et in cap. seq.: « ille quidem (Nero), inquit, regno Agrippae quatuor urbes addidit, cum » illarum Toparchias, Abilam, et Iulidam in Peraea, Tarichaeas, » et Tiberiadem in Galilaea. » — Haec de politicis mutationibus, quae Christi et Apostolorum aetate in Palaestina contigerunt, ex antiquis monumentis discimus.

Si igitur demonstrari possit Auctores N. T. inter tot rerum vicissitudines semper veritatem tenuisse, et neque epochas, neque personas neque ditionum limites permiscuisse, validum exinde sequetur argumentum eos non post Hierosolymae excidium, sed ipsa aetate qua haec accidebant vixisse. Iamvero ex attenta librorum nostrorum lectione id manifeste apparet, si nempe conferantur loca ubi nostri Auctores obiter et absque ullo studio de politico regionum statu mentionem ingerunt, aut aliquod politicum adiunctum supponunt, vel ad illud alludunt.

(1) « Anno autem decimo principatus Archelai primores viri Iudaeorum » et Samaritanorum eius crudelitatem et tyrannidem non ferentes eum apud » Caesarem accusant.... Ubi autem Romam venit, Caesar, postquam illum » causam suam agentem audivit, eum in exilium abegit, Vienna Galliarum » urbe in commorandi locum ei assignata, pecuniamque spolavit. »

Sane cum Christus nascitur *Herodes (Magnus)* in Iudaea regnat iuxta nostros Evangelistas (Math. II, 1), ita tamen regnat ut Augusto aliquatenus subditus sit: hic enim narratur census in Herodis ditione imperasse (Luc. II, 1, 2) quod in alterius ab eo independentis regno facere non potuisset. Mortuo Herode (Math. II, v. 19) *Archelaus* eius filius regnans inducitur, non ita tamen ut in omnes Herodis provincias ius habeat; siquidem Ioseph ex Aegypto reversus timens in Iudaea consistere, ubi regnat Archelaus (Math. II, 22) « secessit in partes Galilaeae » (ibid.), quod supponit in Galilaea alium mitioris ingenii principem tunc temporis exstitisse: hunc autem fuisse *Herodem (Antipam)* docet Lucas (III, 1), qui etiam eum non regem sed *Tetrarcham* vocat, eique alterum adiungit Tetrarcham Ituraeae et Trachonitidis *Philippum*. Archelaus vero mortuus non dicitur, sed is illico ex scena recedit, et in eius loco apparent Romani praesides; ex quibus *Pontius Pilatus* Iudaeam administrat, cum Ioannes Baptista turbas ad Iordanem docet (Luc. III, 1), sub quo etiam Christi passionem et mortem accidisse narrant Evangelistae. Post Christi autem mortem nominatur *Felix*, ad cuius tribunal Paulus adductus est (Act. XXIII, XXIV), quem excipit *Portius Festus* (Act. XXIV, 27). Rursus autem post aetatem Pilati Iudaeorum rex *Herodes (Agrippa)* nominatur qui Iacobum occidit, et Petrum in vincula coniecit (Act. XII, 1 seqq. 41), ac probrosa morte sublatus dicitur (ibid. 22-24), post quem alter *Agrippa* rex occurrit, apud quem Paulus causam suam Caesareae dixit (Act. XXV, 13, XXVI, 1-32).

Et haec de politicis mutationibus.

Quod autem pertinet ad *religiosum* Hebraeorum statum haec ex historia scimus: Nempe imprimis magnum Iudaeorum Synedrium non integram sub Romanis servasse auctoritatem, sed eam ita temperatam fuisse ut in levioribus causis sententiam dicere posset, ac levioribus poenis ex. g. flagellatione sotes plectere; graviore vero criminum causas cognoscere quidem permitteretur, non vero capitali supplicio reum addicere. Constant haec ex Iosepho Flavio, Tacito (Annal. XII, 54), Dione Cassio (Hist. I, 53, 58) et ex Thalmudistis, qui de limitata per id temporis synedrui potestate conquirentur in tractatibus *Sanhedrin* et *Sciabbath*.

Scimus insuper summum Iudaeorum Pontificem etiam extra Palaestinae limites, et apud exterarum gentes, ubi Iudaei essent,

ius suum exercuisse a Romanis probatum et privilegio munitum (V. Ios. Antiq. XIV, 10, XVI, 6). Item scimus aliquando factum esse ut summo Pontifice a Romanis procuratoribus, vel Iudaeorum regibus deposito, vel eo utcumque remoto alter in eius locum substitueretur, titulo tamen atque honoribus pontificalibus priori aliquando relictis. Huius rei exempla refert Iosephus Antiq. XV, 9, 3, XIX, 8, 1, XX, 9, 10, etc.

Denique citati Auctores narrant circa Christi aetatem varias apud Hebraeos extitisse religiosas sectas, Pharisaeorum praesertim, et Sadducaeorum, quorum primi severiora instituta sectantes, literae legis tenacius adhaerebant, et magna in populum auctoritate pollebant; Sadducaei vero laxiora dogmata professi immortalitatem animorum et corporum resurrectionem negabant, et vix ulla apud Iudaeos gaudebant potestate (Ios. Antiq. L. XVIII, c. 1, n. 2, 3; De Bello Iud. L. II, c. 9 et alibi).

Iamvero hisce omnibus apprime respondent ea quae in Libris N. T. leguntur. Sane Iudaeorum proceres causam Apostolorum cognoscunt, in eosque verberibus animadvertunt (Act. V, 40), eademque ratione in causa Pauli sese gerunt (2<sup>o</sup> Cor. XI, 24): causam etiam Christi ad suum tribunal trahunt, sed cum ad exitum ventum est, optatam in Eum mortis sententiam ferre nequeunt: « nobis, inquit, non licet interficere quemquam » (Ioh. XVII, 31); quare eam tumultuarie a Romano praeside extorquent (Ioh. XIX, 6, 7, Matth. XXVII, 22-26; Marc. XV, 12-15, Luc. XXIII, 1-3, 23-24).

Pontificis auctoritatem ultra limites Palaestinae sese porrexisse historia Sauti docet, qui ab eo petiit epistolas in Damascum ad Christifideles ibidem degentes vi et armis coercendos (Act. IX, 1, 2); duos autem simul fuisse summos Pontifices Annam et Caipham, cum Christus ad necem raperetur, ex historia evangelica notissimum est.

De sectis autem Pharisaeorum et Sadducaeorum omnes pene Evangelii paginae, itemque Actus Apostolorum, et Pauli epistolae loquuntur, et ita quidem ut Pharisaei de affectata morum austeritate, et de corrupto pravis interpretationibus legis spiritu reprehendantur, itemque magnae apud plebem auctoritatis fuisse dicantur (Matth. III, 4, 7, XXVI, 2 seqq.; Marc. VII, 3, 4; XII, 18; Luc. V, 27-33; Iohan. IX, 13 seqq.; Act. XXIII, 6-11; Phil. III, 3), Sadducaei autem de negata corporum resurrectione, et de Scripturarum ignorantia redarguantur (Act. I. c. et in Evang. passim).

2<sup>o</sup> Alterum caput indiciorum suppeditant Iudaeorum instituta ac consuetudines, de quibus obiter in nostris libris ingeritur mentio. Sane ex successiva Graecorum et Romanorum dominatione necessario oriri debuit apud Hebraeos, aetate Christi, commixtio quaedam consuetudinum Iudaicarum, Graecarum et Romanarum, quemadmodum reipsa factum esse profani etiam scriptores testantur. Porro huiusmodi varietatis et commixtionis indicia in Novo Testamento passim occurrunt. Exemplo sit in primis *moneta*. Omnes sciunt quam difficile sit vulgo antiquorum nummorum, et pristinae pecuniae divisionis oblivisci, novisque nummis assuescere. Quapropter aetate Christi omnino expectanda erat apud Hebraeos Iudaicorum, Graecorum ac Romanorum nummorum commixtio saltem in ratione loquendi, et pecuniam supputandi. Iamvero id est adamussim quod Novi Testamenti paginae testantur. Matth. XVII, 24, Luc. XV, 8, 9 et alibi commemorantur δραχμη, διδραχμον et στατηρ, qui Graeci nummi sunt: nummi Romani sunt asses, denarii, quadrantes, de quibus Evangelia passim; Iudaica vero moneta est siclus (שֵׁקֶל) argenteus, quem simpliciter *argenteum* vocat Matthaeus XXVI, 15. Ubi insuper notandum est quam bene in nostris Libris diversi huiusmodi nummi diversis, ac propriis usibus plerumque respondeant. Nam cum de propriis Iudaeorum usibus est sermo, Iudaica adhibentur moneta, ut in cit. Matthaei loco; cum de civilibus contractibus et de vectigalibus solvendis agitur Romani nummi sunt (Matth. X, 29; Mr. XII, 15; Ioh. XII, 3, 6); Graeca tandem moneta apparet cum de tributo viritum solvendo (Matth. XVII, 23, 26) et de oblationibus templo faciendis (Mr. XII, 42) agitur, quod institutum, teste Iosepho Flavio, sub Graecorum dominatione apud Iudaeos initium habuit.

Simile aliquid occurrit in eo quod respicit *iura ac leges* in N. T. laudatas. Ita ex. gr. Mt. V, 23, seqq. (1) supponitur posse creditorem ob negatam quacumque ex causa debiti solutionem debitorem in carcerem conicere, ibique detinere donec integrum debitum solverit. Verum huiusmodi dispositio ab Hebraeorum lege aliena est, pertinet vero ad ius Romanum. Eiusdem rei plura exem-

(1) « Esto consentiens adversario tuo cito dum es cum eo in via, ne forte tradat te adversarius iudici, et iudex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde donec reddas novissimum quadrante. »

pla suppeditat historia passionis ac mortis Christi Domini prout ab Evangelistis narratur. Ita ex. gr. dicitur Pilatus cruce titulum affixisse *Hebraice, Graece et Latine* scriptum; porro usus affigendi patibulo damnationis titulum apud Romanos vigeat quemadmodum Svetonius et Dio Cassius testantur; quod autem diversis linguis scriberetur ad consuetudinem pertinet magistratum Iudaicorum illius temporis, teste Iosepho Flavio. Item Christus ante crucifixionem flagellatur, Crucem in humeris gestare cogitur, demum duobus una crucifixis crura suffringuntur ad mortem accelerandam (Ioh. XIX. 31. seq.): iamvero haec omnia in usu fuisse eo tempore profani scriptores Iosephus, Livius, Plutarchus et Aurelius Victor tradiderunt.

3. Alia indiciorum classis respicit notitias *geographicas*, et *topographicas* in N. T. occurrentes, quarum nonnullas hic breviter innuemus. Praeter maiores provinciarum divisiones Iudaeam, Samariam, Galilaeam, Peraeam, etc. earumque situm ac limites, in quibus omnibus Auctores nostri cum profanis accurate conveniunt (V. praeter Iosephum Flavium, Tacitum Histor. II, 6. Strabonem lib. XVI), in minutis etiam locorum adiunctis accuratissimi deprehenduntur; ita ex. gr. Ioh. XIX, 13 Pilatus ex Praetorio egreditur, et sedet in loco qui appellatur *Λεβεταρτων* qui proinde Praetorio vicinus, et adiacens supponitur; nunc Iosephus animadvertit hunc locum fuisse adnexum aedificiis templi prope vicum Antoniae; Philo autem in *Legatione ad Caium* obiter innuit Romani praesidis habitationem in palatio Herodis fuisse, quod aliunde scimus ad latus Nord-Ovest templi et vici Antoniae fuisse collocatum. Distantia oppidi Emmaus a Hierosolymis scilicet *stadiorum sexaginta* a Luca assignata (XXIV, 13) eadem est quam Iosephus Flavius exhibet (De Bello Iud. VII, 6, 6): item distantia et situs ignobilis castelli Bethphage (Matth. XXI, 1, Marc. XI, 1, Luc. XIX, 29) confirmatur a Thalmude Babylonicis in tractatu Sanhedrin (cap. I, n. 3).

In urbibus Capharnaum et Iericho magna portitorum multitudo fuisse supponitur in Evangelio (Matth. IX, 9, 10, Mar. II, 14, 13, Luc. V, 27-29, XIX, 1, 2) ubi Matthaenus publicanorum plures convivio excipit, et Zachaeus princeps publicanorum et dives appellatur. Iamvero Iustinus Histor. lib. XXXVI, cap. 3, refert divitias urbis Iericho potissimum ex vectigalibus opobalsami, quod in illis regionibus colligebatur, accrevisse; Strabo autem lib. XVI refert

non procul a Capharnaum navigationem Aradiorum incepisse, quae circumstantiae portitorum copiam in iis locis necessariam reddebant.

Nomina ipsa locorum a nostris Auctoribus memorata illa ipsa sunt quae aetate Christi in usu erant, quorum nonnulla paucis ante annis, vel brevi post illam epocham mutata sunt. Sic frequenter memoratur *Sichem*, quae paulo post *Flavia*, vel *Mabartha* dicta est; item *Caesarea Philippi* (Mt. XVI, et al.) quod nomen ab adulatoribus illius Tetrarchae civitati impositum fuerat (quae paulo ante *Paneas* vocabatur) et statim post Philippi mortem in desuetudinem abiit; item *Bethsaida* frequenter nominatur, quae tamen civitas sub Tiberio Caesare *Iulias* appellata fuerat.

4. Aliam indiciorum classem exhibent *character et adiuncta personarum*, de quibus in nostris libris fit mentio, quae adamussim respondent earumdem personarum characteri et adiunctis prout ex historia innotescent.

De Pharisaeis et Sadducaeis iam supra diximus. *Judaei* universim repraesentantur ut corrupti moribus, et ad rebellionem contra Romanos proclives; *Athenienses* dicuntur prae caeteris superstitiosi et rerum novarum cupidi (Act. XVII, 21, 22); *Corinthii* philosophiae et eloquentiae studio addicti, ac vana gloria inflati, simulque morum corruptione insignes (1<sup>a</sup> et 2<sup>a</sup> Cor.); *Cretenses* mendaces ac pigri (Tit. I, 12); *Ephesii* cultui Dianae, et magiae artibus devoti sistuntur (Act. XIX, 19, 23, seqq.). Iamvero haec omnia apprimè cohaerent cum iis, quae de his gentibus referunt Iosephus Flavius, Demosthenes, Plato, Pausanias, Cicero, Plutarchus et alii antiquitatis scriptores. *Herodes magnus* (Matth. II) describitur ambitiosus, suspiciosus ac maxime crudelis; quod apprimè consentit cum Herodis historia ab Iosepho Flavio narrata, ubi principis illius vitia ac crimina referuntur, qui nec uxori Mariamne, nec Alexandro et Aristobulo filiis pepercit, et quinque solum ante mortem diebus Antipatri filii supplicium imperavit, omnibus denique ac sibi ipsi exosus atque insensus evaserat. *Archelaum* patris sui immanitatem aemulatum fuisse innuit Matthaenus (II, 22); *Herodem* (Antipam) Tetrarcham incestuosum et voluptatibus deditum referunt idem Matthaenus, Marcus et Lucas (Mt. XIV, 1-3, Mr. VIII, 13-27, Luc. III, 19, seq.); *Herodes Agrippa* in Actis Apostolorum (XII, 1-4) repraesentatur favoris Iudaeorum cupidus, quam ob causam, occiso Iacobo, *videns quia placeret Iudaeis* Petrum quoque comprehendi

iussit; Pontium Pilatum de Caesaris gratia amittenda immodice sollicitum ostendit Iohannes (XIX, 12-20), cum narrat eum ad illas Hebraeorum voces: *si hunc dimittis, non es amicus Caesaris* ita turbatum fuisse, ut Iesum, quem innocentem declaraverat, morti addiceret. Consentiant haec omnia adamussim cum profana historia. Nam de Archelao narrat Iosephus Flavius eum « *civium tribus millibus caesis regno praelusisse* » ac ita crudelem se praebeuisse ut ea de causa regno spoliatus, atque in exilium actus a Romanis fuerit (Vide locum super. citat.). Herodis Antipae incestuosam unionem cum Herodiade commemorat idem auctor (Antiq. XVIII, 5), eamque causam dicit fuisse belli cum Arabum rege gesti, in quo Herodes victus est, quam calamitatem populus uti poenam interfecti Iohannis Baptistae habuit. Herodes autem Agrippa iuxta citatum auctorem (XIX, 6) conciliandae sibi Iudaeorum gratiae studiosissimus, ad hunc finem Hierosolymitanis tributa quaedam remisit, et Legis praescripta ipse servavit, et ab aliis servanda curavit. De Pilati denique agendi ratione nemo mirabitur, qui Svetonium legerit Tiberii Caesaris vitam narrantem, unde apparet hunc principem in maiestate tuenda omnem modum excessisse, et in reos violatae maiestatis severissime animadvertisse (Cfr. Svetonium in Tiberio 58); quae etiam a Tacito confirmantur (Annal. VI.) Quare Pilato ira Caesaris timenda fuisset, si Christum de seditione accusatum dimisisset.

5. Denique plura occurrunt in libris N. T. quae ad aliquam specialem et accidentalem temporum illorum circumstantiam alludunt, de qua recentior scriptor numquam cogitasset. Unum vel alterum exemplum afferamus. In Evangelio Lucae III. 14. narratur milites turmatim ad Iohannem Baptistam accessisse in deserto Iudaeae praedicantem, quod quidem inverosimile prorsus lectoribus videri posset. Ecce enim milites in deserto prope Mare Mortuum? Verrum opportune succurrit Iosephus Flavius referens eo praecise tempore Herodem Tetrarcham adversus Aretam regem Arabiae Petraeae bellum gessisse; quod eum coegit exercitum in parte meridionali Palaestinae ac in deserto Iudaeae instructum habere. Qui in Actis Apostolorum (XIII, 7) legerit Sergium Paulum in Cypro insula Proconsulem fuisse existimabit Lucam ex Romanae historiae ignorantia errasse; constat enim Cyprum non a Proconsule sed a Praetore olim gubernatam fuisse. Attamen Dio Cassius narrat ab

Augusto Cyprum insulam cum Gallia Narbonensi senatui fuisse concessam, ac proinde Proconsulem in locum Praetorum successisse. Confirmatur hoc ex Claudii numismate, de quo vide Patin: *Imperatorum Roman. Numism.* in Claudio pag. 401. Quamplurima huius generis indicia addi possent; quo enim magis quis in profana historia et archaeologia doctus est eo maiorem invenit concordiam inter res etiam minimas a profanis scriptoribus traditas, et ea quae in N. T. leguntur: quae quidem saepe saepius ita inexpectata sunt, ita opportune et absque studio sacris libris inseruntur, ut eruditum lectorem omnino reddant de Apostolica librorum nostrorum aetate (1).

## H. Indicia personalia Auctorum N. T.

Ea, quae superius vidimus probant quidem Libros N. T. ipsa Apostolorum aetate conscriptos fuisse, a quibus tamen conscripti fuerint non docent. Quare alia nunc indicia afferenda sunt, quae propius ipsas Auctorum personas designent.

Caracteres et adiuncta quae determinat et a caeteris distinguunt auctores quibus libri nostri tribuantur sunt praecipue sequentes. 1° Auctores isti non unus aut alter sed sex sunt diversi (2). 2° Hi omnes Iudaei vel gente vel saltem religione fuerint antequam Christo sese adiungerent. 3° Ex eisdem duo litterati ac cultioris ingenii fuerunt, Paulus nempe Gamalielis discipulus, et ex Phariseorum secta doctor, et Lucas medicus Antiochenus: caeteri omnes rudes, indocti, ac plebei. 4° Denique ex iis alii in Christi schola fuerunt, eius vitae ac praedicationis testes, eiusque familiares ac comites individui: alii vero quamvis ex primis illis apostolis non fuerint, iis tamen coaevi fuerunt, forte etiam Christi factorum oculati testes, ac certissime ex diuturna cum Apostolis consuetudine immediatis spectatoribus omnino comparandi.

(1) Qui plura de hoc argumento desiderat adeat primam partem Introductionis L. Hug. (Cap. I. §. 3-5.), qui interna de quibus loquimur indicia magno numero collegit et erudite exposuit; vel Introductionem in Libros Novi Testamenti G. I. Guntner P. I., sect. II., c. 1. par. 75-81.

(2) *Matthaeus* scilicet, *Iohannes*, *Petrus*, *Paulus*, *Marcus* et *Lucas*: de *Iuda* enim et de *Iacobo* non loquimur, quia horum epistolae inter libros protocanonicos, de quibus tantum nunc sermo est, non numerantur.

Si igitur viderimus ex internis iudiciis, ex modo res narrandi, ex lingua ac stylo aliisque characteribus nostrorum librorum quatuor illa adiuncta eorum auctoribus omnino convenire, consequens erit ab illis sex Apostolis aut discipulis eos esse conscriptos. Hoc autem difficile non erit ex sequentibus iudiciis demonstrare.

1. Comparatis inter se libris N. T. facile apparet eos a *seae diversis auctoribus* prodiisse. Sane imprimis ex attenta Evangeliorum lectione manifestum est *quatuor Evangelia* fuisse scripta a quatuor distinctis viris. Quartum enim Evangelium differt ab aliis stylo, materia et ordine: quippe *stylus* multa habet propria; ita vox *Αγγελος* *verbum* (I, 1, 14), metaphorae *lucis* et *tenebrarum* (I, 4, 8, 9, III, 19–21), metaphora *aquae vivae* ad designandam gratiam (IV, 10, 13, 14, VII, 37, 39, et al.) et alia plura huic Evangelio propria sunt; tota autem dicendi ratio mysticam quamdam ac sublimiorem indolem praesefert, quae in tribus prioribus Evangelii minime reperitur. — *Materia* etiam diversa est. Nam licet de Christi gestis pertractet, diversa tamen facta narrat a caeteris omnia: ea vero quae ab aliis Evangelistis referuntur, paucis exceptis, silentio praeterit. Sermones Christi dogmaticos potius refert quam morales, qui in aliis Evangelii recitantur, et de aeterna Verbi generatione divinaque natura, data opera, et copiose disserit, dum alia Evangelia in humana Christi natura et Messiana eius dignitate immorantur. Denique *ordo* narrationis omnino diversus est; alia siquidem Evangelia de Christi gestis ac sermonibus in Galilaea habitis potissimum loquuntur, quartum vero Evangelium narrationem coordinat iuxta varia Christi itinera in Iudaeam ac Hierosolimam, quae (uti opportune observat laudatus Hug) totidem festis Hierosolymae celebratis respondent, quae sunt 1° *festum Paschae* (primum) II, 43: 2° *festum Iudaeorum* V, 1: quo significatur vel alterum *Pascha*, vel festum *Phurim*; 3° aliud *Pascha* VI, 4; 4° *Festum Tabernaculorum* VII, 2; 5° *Ultimum Pascha* X, 22.

Ex quibus aliisque notis tantum apparet inter quartum Evangelium et tria priora discrimen, ut nemo ea uni eidemque auctori adscriperit. Verum etiam tria illa priora Evangelia (quae a recentioribus *synoptica* appellantur) ita inter se differunt, ut tres diversos auctores sibi vindicent; siquidem horum materia ex una parte tam similis, et ex alia tam diversa est, ut ab eodem auctore scribi non potuerint. Sic primum et alterum Evangelium fere eas-

dem res referunt, attamen secundum est valde brevius, et meliori ordine digestum. Stylus etiam differt: primum Evangelium scriptum est hebraico stylo, quod confirmat veterum testimonium asserentium Evangelium primum hebraice scriptum, et postea in Graecum conversum fuisse; secundum vero ab hebraica forma magis recedit; tertium differt a duobus praecedentibus, quia ordinem chronologicum accurate servat, eiusque stylus multo purior est caeteris, et classicam graecitatem refert. Ergo quatuor Evangelia quatuor diversos habent auctores. — Si inspicimus *Actus Apostolorum* manifeste apparet auctorem huius libri esse eundem qui scripsit tertium Evangelium: non solum quia auctor in exordio sui operis Evangelium a se antea scriptum commemorat, eidemque Theophilo utrumque librum dedicat, sed praecipue ex stylo, et modo expositionis, qui idem prorsus utroque est. — *Epistolae XIII* quae sequuntur unius eiusdemque auctoris opus a praecedentibus diversi esse dignoscuntur. Eadem ubique leguntur de vanitate circumcisionis, de praecellentia N. T. super Vetus etc.: stylus autem modo sublimis, modo humilis, aliquando philosophicus, aliquando familiaris est, semper tamen sibi constans. Unica enim exceptio quae fieri posset, respicit epistolam ad Hebraeos, de qua hic non loquimur. En itaque quintus librorum auctor. — Denique consulentes *Epistolas Catholicas*, invenimus eam quae Iohannis nomen gerit illius esse auctoris, qui quartum scripsit evangelium; tanta est inter duo haec scripta conformitas tum in rebus, tum in verbis, styloque sermonis. Sane scopus *Epistolae* atque Evangelii idem est, ut nempe probet Christum esse filium Dei (1 Jo. I, 3, II, 22–23, III, 23, VI, 6, 10, 20). Stylus etiam convenit: Christus eiusque doctrina dicitur, ut in Evangelio, *lux, lux mundi* (I, 5–7, II, 8–10) et *vita* (I, 2, V, 11, 12): quae de charitate leguntur in hac epistola (II, 7–11, III, 16, IV, 12–21) gemina prorsus sunt iis quae in Evangelio Iohannis occurrunt (XIII, 34, XV, 12, 13 et al.): est igitur unus idemque auctor huius Epistolae ac quarti Evangelii. Denique *Epistola* quae Petro adscribitur characterem omnino singularem exhibet, quanto enim magis stylo simplici et inconcinno scripta est, tanto sublimiorem complectitur sensum, et peculiarem quamdam gravitatem et auctoritatem spirat: quae nos cogunt sextum auctorem praecedentibus addere. Ex his ergo colligitur revera sex fuisse auctores librorum, de quibus agimus.

2° Hos autem fuisse *Iudaeos* natione et religione constat non modo ex eo quod ipsi aliquando hoc affirmant, sed quia ostendunt facto suo hoc ita esse. Et 1° ex scientia S. Scripturae V. T. quae vix legatur a Paganis et exteris, nostris vero auctoribus familiaris omnino est: siquidem citant copiosa testimonia ex Prophetis et aliis libris sacris, et quanto magis apparent rudes in literatura profana, tanto magis se eruditos ostendunt in literatura hebraica: 2° ex stylo qui est hebraicus quamvis sint verba graeca; sic etiam phrasis, et syntaxis sunt hebraicae.

3° Apparet illos fuisse *rudes et indoctos*, duobus exceptis; siquidem scribunt stylo vulgari et ineleganti, repetitiones non vitant, ordinem factorum ac doctrinarum non servant, nulloque artificio rhetorico vel philosophico utuntur. In duobus prioribus, et quarto Evangelio, licet argumentum sit adeo sublime et sanctum, tamen nulla invenitur exaggeratio circa ea quae narrantur, nulla philosophica animadversio circa vitam Christi, nulla comparatio cum illustribus aliarum gentium viris, aut alia cultioris ingenii vestigia, quae in scriptis eruditorum hominum passim occurrunt. Eadem observare est etiam in epistolis Petri et Ioannis. Auctor tamen tertii Evangelii et Actorum in romana historia satis peritus apparet, item graecis litteris apprime imbutus. Quod etiam de Auctore XIII Epistolarum dicendum est. Quamvis enim is plerumque simplicius loquatur, tamen saepe ad sublimem stylum assurgit, et artis oratoriae minime ignarum sese exhibet: Vide e. g. c. XIII Ep. 1 ad Cor.; epist. ad Philipp., ad Philem. et alibi. In graeca etiam literatura hospes non est, ut apparet tum ex stylo, tum ex mentione, quam identidem ingerit Graecorum poetarum, e. g. Epimenidis (Tit. I, 12).

4° Apparet denique istos auctores fuisse *Christi comites*, et *oculatos testes* eorum quae Christus gessit, vel cum iis coevos et ex eorum consuetudine cum immediatis testibus omnino comparandos. Siquidem licet stylus simplex sit, tamen ita vivae sunt expressiones et factorum narrationes, et ita illas sub oculos ponunt, ut nullum dubium in lectore relinquunt quod ex propria experientia loquantur. Quare omnes characteres, qui proprii sunt nostris auctoribus, ipsi librorum indoli ac conditioni apprime respondent. Ergo ab iis revera scripti sunt quemadmodum Traditio docet.

### §. III. Obiectionum solutio

Possemus merito praeterire ea quae ab incredulis contra demonstratam Thesim obiici solent: sunt enim levissima, ac minime apta ad prudentem virum commovendum. Cum enim pro libri alicuius origine integrae societatis testimonium innumeris testibus firmatum, nulla prorsus aetate interruptum, ab ipsis adversariis, invitis licet, admissum afferri potest, cui etiam interni eiusdem libri characteres apprime consonant, cum, inquam, haec pro libri alicuius genuinitate suppetunt, si quae ex specialibus auctoribus, aut ex internis coniecturis contra afferantur, spernenda potius quam refellenda sunt. Ut tamen morem adversariis geramus, et ut nihil ad plenam scholasticam disputationem deesse videatur, in praecipuis quibusdam difficultatibus expendendis aliquantum immorabimur.

Quae contra genuinitatem librorum N. T. afferri solent, ad duas classes redigi possunt: alia enim sunt *generalia*, quae scilicet universim totius N. T. genuinitatem impetunt, alia sunt *specialia*, quae uni vel alteri libro adversantur.

#### I. Obiectiones generales.

Huiusmodi obiectiones in impugnandis argumentis pro Thesi adductis versantur. Cum autem haec vel externa sint vel interna, de obiectionibus adversus interna argumenta adductis non loquemur; de his enim (ut supra animadvertimus) opportunus erit dicendi locus cum de N. T. *veracitate* agemus.

Obiectiones autem generales quae adversus *externa* argumenta afferuntur ad sequentes potissimum revocantur.

*Obiect. 1°* desumitur ex historia apocryphorum, ex qua ita adversarii nostrum argumentum ex Traditionis testimonio desumptum impugnant.

Illud testimonium non valet ad probandam genuinitatem librorum N. T. quod etiam pro libris apocryphis invocari potest.

Atqui testimonium traditionis Ecclesiae etiam pro libris apocryphis invocari potest.

Ergo etc.

Minorem propositionem argumenti ex historia probant. Sane primis Ecclesiae saeculis multa apocrypha scripta produsse scimus, uti erant Evangelia secundum Aegyptios, secundum Hebraeos, secundum Petrum, secundum Thomam, secundum Nicodemum, et alia plura: Acta quoque Apostolorum apocrypha, uti erant *Acta Andreae, Philippi et Thomae*: item *Periodi Pauli et Theclae*, aliaque huiusmodi: Pauli etiam epistolae diversae uti illae ad *Laodicenses*, et ad *Senecam*; quemadmodum etiam epistolae *Barnabae*, et *Clementis*, et *Hermiae Pastor*. Porro huiusmodi scripta a Patribus laudata, probata et frequenter allegata inveniuntur, nonnulla etiam in Ecclesiis legi consueverunt. Ergo...

*Resp.* Scholastica forma.

Ad minor. *Distinguo*; Testimonium traditionis invocari potest pro apocryphis in bono sensu acceptis, seu non canonicis, transeat; pro apocryphis in malo sensu, seu spuris ac suppositiis, subdistinguo; invocari potest testimonium universale, firmum atque perpetuum quale pro nostris libris allatum est, nego; testimonium alicuius scriptoris vel particularis Ecclesiae, concedo vel transeat.

Adversarii multa in obiectione confundunt, quae omnino distinguenda sunt. Et primo quidem ignorare videntur quod vox *apocryphum* variam apud antiquos praeseferebat significationem; aliquando enim apocryphum dicebatur ad oppositionem canonici, seu libri in canonem ecclesiasticum relati, quo sensu epistola *Barnabae*, et *Pastor Hermiae* aliquando apocrypha vocata sunt, non quod ab iis auctoribus scripta non fuerint, sed quod in canonem sacrorum librorum non essent recepta. Alias vero *apocryphum* accipitur ad oppositionem genuini, sub quo respectu apocrypha dicebantur Evangelia falso Apostolis adscripta, quae Eusebius L. III, c. 23 clariori vocabulo appellat *εὐαγγέλια*, seu *spuria* (1). Unusquisque videt testimonium virorum ecclesiasticorum in favorem alicuius apocryphi in priori sensu accepti, quantumcumque illud fuerit, ad praesentem quaestionem non pertinere: illi enim libri genuini erant, ac proinde qui eos recipiebant in quaestione de *genuinitate librorum* non errabant: erant insuper ii libri plerumque pii atque utiles, dignique, qui in Ecclesia ad fideliū aedificationem legerentur. Si quid in hac re errarunt nonnulli Ecclesiae doctores, in eo tantum errarunt quod aliquem

(1) De apocryphis plura referemus in secunda parte huius Introductionis Criticae Sectione II.

ex iis libris inspiratum crederent, quod Ecclesiae iudicio confirmatum non est: sed id, uti diximus, cum nostra quaestione nihil commune habet. Quod vero pertinet ad apocrypha in malo sensu accepta, ea scilicet scripta quae sub Apostolorum falso nomine vulgata fuerunt, vel alicui Apostolorum per errorem adscripta, adversarii frustra pro iis invocant testimonium Ecclesiae, testimonium inquam, quod aliqua ratione comparari possit cum consensu illo traditionis, quem pro canonicis libris adesse demonstravimus. Primo enim testimonium illud universale nunquam fuit, imo neque multorum opinione firmatum, sed paucorum tantum, ut ex veterum doctorum testimonio constat. Sane quod pertinet ad *Evangelia* Origenes in loco alias citato quatuor tantum ab universa Ecclesia admissa fuisse testatur: « quae sola, inquit, in universa quae sub coelo est Ecclesia citra controversiam admittuntur » et in Hom. 1<sup>a</sup> in Lucam explicans primum versiculum huius Evangelii ait: « In Novo Testamento » multi conati sunt scribere Evangelia, sed non omnes sunt recepti... Ecclesia quatuor habet Evangelia, haeresis plurima, ex quibus quoddam scribitur secundum Aegyptios, aliud secundum duodecim Apostolos... quoddam appellatum secundum Thomam, et secundum Matthiam etc. sed (concludit) in his omnibus nil aliud probamus, nisi quod probat Ecclesia; idest quatuor tantum Evangelia recipienda. » Et ante Origenem Irenaeus L. III, c. 2 quatuor nostris Evangelis commemoratis, quamvis apocrypha plura existere non ignoraret, absolute pronunciat: « neque autem plura numero quam haec sunt, neque rursus pauciora capit esse Evangelia. » De Actis vero Apostolorum apocryphis idem sancti illi viri ferebant iudicium. Acta S. Petri, Peregrinationes Pauli, aliaque huiusmodi communi suffragio reiecta sunt auctoresque detecti ac poenis animadversi (V. Hieronymum in Cat. sub Luca, Tertullianum de Bapt., Eusebium E. H. III, 25 etc.). Epistolae etiam Pauli supposititiae non nisi pauci receperunt, caeteris reclamantibus: ita Hieronymus in Catal. in Paulo, enumeratis genuinis Pauli epistolis, in fine addit: « Legunt quidam et ad Laodicenses, sed ab omnibus exploditur. » Denique Eusebius antiquiorum Patrum iudicia colligens haec de huiusmodi commentitiis Apostolorum scriptis asserit: « Hoc modo (scilicet per accuratum catalogum librorum dubiorum, vel tantum ecclesiasticorum) tum hos ipsos libros facilius dignoscere poterimus, tum alios sub Apostolorum nomine ab haereti-

» cis vulgatos, qui Petri, Thomae, Mathiae et quorundam aliorum  
 » *Evangelia*, Andreae quoque, Ioannis aliorumque Apostolorum  
 » *Actus* continent » deinde addit: « quos quidem libros nullus un-  
 » quam qui continuata ab Apostolis successione in Ecclesia docuit  
 » in scriptis suis commemorare dignatus est » (H. E. III, 25).

Ex quibus iam patet huiusmodi testimonium neque *firmum* unquam fuisse, quemadmodum pro libris canonicis. Non enim decreto aliquo Conciliorum aut Romanorum Pontificum unquam ii libri probati fuerunt, neque in authenticis librorum sacrorum catalogis, qui canones vocantur, usquam apparent. Sed neque *perpetuum* ac constans hoc testimonium fuisse evidens est; progressu enim temporis ipsa illorum librorum memoria obliterata est, et plerique ex iis nunc vix de nomine cognoscuntur. Contra vero testimonium a nobis adductum ad universam Ecclesiam pertinet, innumeris Ecclesiae decretis firmatur, nullaque aetate interruptum aut mutatum est.

*Obiect.* 2° Ut demonstrari possit factum originis Apostolicae librorum N. T. deberent afferri testimonia illorum qui ipsa aetate apostolica vixerunt.

Atqui haec non adsunt. — Ergo.

*Resp.* 1° *Nego maiorem* — Etenim ad demonstranda facta *notoria* et *magni momenti* non sunt omnino necessarii testes *coaevi*, sed sufficiunt *suppares*, quia certum est testes istos veritatem ab iis qui saeculo anteriori vixerunt accepisse, ideoque eorum auctoritas in coaevorum testimonio fundatur. Iamvero nullum factum gravius momenti ac magis de se notorium esse poterat, quam origo Apostolica librorum, qui Ecclesiae traditi dicebantur ut fidei ac morum regula. Ad hoc igitur factum admittendum sufficerent nobis testes quasi coaevi, vel suppares a nobis adducti ex. gr. Iustinus, Melito, Irenaeus et alii, quorum testimonium tanto magis valere deberet, quod ipsi ad coaevos appellant, uti vidimus.

*Resp.* 2° Ad *minorem*. Testimonia coaeva afferri non possunt, *Distinguo*; explicita *transeat*, implicita *nego*. Diximus: *transeat* quia aliqua testimonia explicita adsunt. Vide loca superius citata ex Polycarpo, Iohanne presbytero apud Papiam, aliisque.

*Instant* (1). Testimonia implicita non probant genuinitatem

(1) Sequentes obiectiones proponantur a Nic. Freret in opere cui titulus: *Examen critique des preuves du Christianisme*: pag. 9-16, quem docte ac nervose more suo refutat Cl. Nic. Spedalieri in opere: *Analisi dell'e-*

librorum N. T. Testimonia enim haec implicita sunt citationes verborum S. Scripturae apud Patres Apostolicos occurrentes. Iamvero ut ex his citationibus demonstraretur origo Apostolica librorum N. T. ostendendum esset verba illa quae citantur non potuisse derivari ex aliis fontibus quam ex libris nostris. At hoc non ostenditur; nam 1° potuerunt derivari a Traditione in qua plura servata sunt de factis ac verbis Christi, quae etiam in Scriptura leguntur; 2° potuerunt PP. ea verba ex quibusdam libris apocryphis haurire; scimus enim usque a primo Ecclesiae saeculo plurimos fuisse libros apocryphos, in quibus multa legebantur, quae etiam in libris canonicis relata sunt. Ergo ex citationibus Patrum Apostolicorum logice non ostenditur libros N. T. aetate ipsa Apostolica exitisse.

*Resp.* 1° Adversarii supponunt testimonia implicita tantum ex *citationibus* constare; quod omnino verum non est: adduximus enim testimonia quaedam in quibus verba proprie non citantur, sed ad aliquem Apostolorum librum aliqua ratione *alluditur*. 2° Hoc etiam omisso, defendimus vim argumenti ex citationibus desumpti. Sane adversarii dicebant potuisse illas citationes ex Traditione vel ex Apocryphis derivari. Respondemus 1°) hic esse quaestionem de facto, non de eo quod fieri potuit. Porro verba a Patribus magno numero citata *de facto* in nostris libris leguntur; quod autem in Apocryphis quoque legerentur adversarii ostendere non possunt, quia Apocrypha aetatis Apostolicae perierunt, et nonnisi in paucis fragmentis supersunt. 2° Possimus praeterea utramque hypothesim adversariorum excludere. Nam quod pertinet ad Traditionem, non negamus Patres allegare potuisse, et aliquando allegasse nonnulla ex orali traditione, sed plura testimonia quae nos adduximus ex scriptis libris citari manifestum est ex illis formulis: *sicut scriptum est*; et *alta scriptura dicit* etc., quibus eadem allegantur. Quod vero pertinet ad alteram hypothesim de Apocryphis, etiam adversarii ostendere possent testimonia illa a Patribus citata reperta fuisse in libris Apocryphis, tamen praesumptio esset quod Patres ex iis libris tam copiosa testimonia non citaverint. Nam ex historia vidimus libros Apocryphos generatim loquendo nullam nactus fuisse apud Patres aestimationem.

*same critico del Sig. Nicola Freret sulle prove del Cristianesimo.* Roma 1778 pag. 19. seqq.: cuius insignis viri responsiones, mutato tamen ordine, et nonnullis adiectis, hic referemus.

*Instant.* Atqui praesumptio stat in favorem Apocryphorum, scilicet quod Patres revera ex libris Apocryphis testimonia illa hauerint. Etenim ex una parte illae allegationes plerumque non respondent locis librorum N. T. ad quae referri volunt, et ex altera parte nonnullae adamussim respondent libris apocryphis. Sic Barnabas in Epistola n. 4 citat haec verba: « Resistamus omni iniquitati, et odio habeamus eam » quod nullibi legitur in N. T. Clemens Romanus in 2<sup>a</sup> epistola ad Corinthios n. 5. ait: « Ait enim » Dominus: eritis sicut agni in medio luporum; respondens autem » Petrus dixit: si ergo lupi agnos discerperint?... Respondit Iesus » Petro: ne timeant agni post mortem meam lupos, et vos nolite » timere eos qui occidunt vos, et post nihil habent facere; sed timeate » eum qui postquam mortui fueritis habet potestatem animae, et » corporis, et mittere vos in gehennam. » Qui dialogus in N. T. non adest. — Idem Clemens n. 11 ait: « Longe a vobis sit scriptura » illa quae dicit: miseri sunt qui animo sunt duplices, qui dicunt: » haec audivimus a Patribus nostris, et ecce consennimus, et nihil » eorum nobis accidit. » Haec non ita certe leguntur in N. T. et Clemens tamen citat *Scripturam*. — S. Ignatius in Epistola ad Smyrnenses n. 3 loquens de Christo post resurrectionem discipulis apparente ait: « Et quando venit ad Petrum, et ad eos qui cum » Petro erant, ait ipsis: apprehendite, palpate me, et videte quia » ego non sum daemonium incorporale. » Haec verba non sunt in nostro Evangelio, imo Hieronymus dicit ea reperiri in Evangelio *secundum Hebraeos*: in Catalogo enim c. 16 loquens de epistola Ignatii ad Smyrnenses ait: « In qua et de Evangelio quod a me » nuper translatus est (Evangelium secundum Hebr.) super per- » sona Christi ponit testimonium dicens: Et quando venit ad Pe- » trum etc... » — Idem Clemens in citata epistola n. 12 ait: « In- » terrogatus a quodam Dominus quando venturum esset regnum » suum respondit: quando duo erunt unum, et quod foris est sicut » quod intus, et masculus cum foemina neque masculus erit neque » foemina » quae verba non solum evidenter apocrypha sunt, et a stylo S. Scripturae aliena, sed praeterea Clem. Alexandrinus Strom. l. III de his loquens ait: « In quatuor Evangeliiis, quae nobis tradita » sunt hoc dictum non habemus, sed invenimus in eo quod est se- » cundum Aegyptios. » Ergo PP. Apostolici revera aliquando cita- runt ex Apocryphis: ergo praesumptio est in favorem Apocryphorum.

*Resp.* Ad primam partem propositionis. *Distinguo*: non respondent *semper verbatim*: *transeat*: non respondent *quoad substantiam verborum*: *nego*. Dixi — *transeat* — quia aliquando verbo tenus respondent, uti ex exemplis a nobis adductis patet. Concedimus tamen plerumque aliquam verbalem differentiam intercedere inter allegata a Patribus Apostolicis et loca quae iis in nostris libris respondent. Id tamen mirum esse non debet: nam 1<sup>o</sup> a Patribus citabatur textus graecus (graecae enim omnes scripserunt) iuxta codices antiquissimos qui nunc amplius non sunt; notum est autem textum graecum accidentales quasdam variationes post illam aetatem subisse. 2<sup>o</sup> Patres solebant citare Scripturam non ex scripto sed memoriter; hinc saepe verborum seriem leviter immutabant, vel etiam data opera substantiam verborum brevius referebant, aut suis verbis immiscebant neque de singulis verbis, neque de auctore et loco indicando solliciti; non enim cum incredulis et scepticis rem agebant, sed cum fidelibus, quibus magna erat SS. Scripturarum familiaritas, et par veneratio. Quod autem etiam testimonia ab adversariis citata in sua substantia reperiantur in libris N. T. facile ostendi potest. Et 1<sup>o</sup> ad testimonium Clementis Romani in 2<sup>a</sup> ad Corinthios n. 5 dicimus integram locum respondere quoad substantiam iis quae leguntur Mt. X, 16, 28, Luc. X, 3. Unica differentia est in verbis Petri: « Si ergo lupi agnos discerperint? » sed haec potuerunt addi a Clemente ad clariorem loci intelligentiam, praesertim cum valde verosimilia sint; ex historia enim evangelica apparet Petrum solitum fuisse in huiusmodi *interrogationes ferentius prostrare*, ut ait Chrysostomus (hom. 87 in Ioan.): forte etiam potuit Clemens hanc circumstantiam ab aliis Apostolis, vel ex ipso Petri ore discere. Ad verba S. Barnabae, concedere possumus ea non esse in Scripturis; neque enim Barnabas dicit se ex SS. Libris ea allegare: quod si non placet adversariis, respondebimus ea in SS. libris quoad sensum reperiri: *fugiendam enim esse omnem iniquitatem et odio habendam* universa Scriptura clamat. Quod spectat alia verba Clementis Romani 2 Cor. n. 11 ea etiam praecise in Scriptura non leguntur, sed eorum substantia ibidem reperitur; vide Is. V, 19, et 2 Petri III, 4. — Ad duo postrema loca Ignatii, et Clementis, quae adversarii dicunt ex una parte respondere libris apocryphis, et ex alia parte non respondere libris N. T. animadvertimus im-

primis retorqueri posse contra eos argumentum. Si enim adversarii cum tanta diligentia et studio Patrum illorum opera perscrutantes non poterunt invenire nisi duo loca, quae certo ex apocryphis citata fuerint, id manifeste ostendit Patres Apostolicos *solitos non fuisse* apocrypha allegare. Verum praestat etiam duo haec loca expendere: et primo verba S. Ignatii in epistola ad Smyrnenses n. 3. Salva reverentia erga S. Hieronymum, animadvertere possemus eadem ad sensum reperiri in nostris Evangelis ex. g. Luc. XXIV, 39, ubi legitur: « videte manus meas, et pedes, quia ego ipse sum, » palpat et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut » me videtis habere »: siquidem *daemonium incorporate* in graeco idem sonat ac spiritus, seu mortuorum animae. Quod autem Hieronymus dicit verba illa desumpta esse ex Evangelio secundum Hebraeos difficultatem facere non debet; in primis enim Hieronymus id obiter animadvertit, et cum forte hoc testimonium simile esset alicui loco libri illius apocryphi, de eo potius cogitavit quam de Evangelio Lucae (XXIV, 39) praesertim quia, ut ipse innuit, librum illum nuper ex Hebraeo in Graecum et Latinum verterat. Insuper notamus Origenem in Praefatione in Periarcon de eodem Ignatii loco animadvertere illum ex apocrypho cui titulus *Doctrina Petri* derivatum esse, non autem ex Evangelio secundum Hebraeos, ut ait Hieronymus. Quare summis istis viris inter se non consentientibus, liceat nobis opinari locum illum neque ex uno neque ex altero ex citatis apocryphis desumptum esse, sed potius ex nostris Evangelis, ubi eadem fere leguntur. — Restat alter locus Clementis in 2<sup>o</sup> ad Corinthios n. 42, quem ultro concedimus ex apocrypho aliquo desumptum esse, et a simplicitate librorum canonicorum abhorrere. Verum quid est unus locus inter tot centena a Patribus apostolicis allegata? Exceptio firmat regulam.

## II. Obiectiones speciales.

*Obiciunt* 1<sup>o</sup> contra genuinitatem Evangeliorum hypothesim *Evangelii primitivi*.

Auctor huius hypothesim est Eichhorn inter Rationalistas notissimus. Animadvertens scilicet iste criticus priora tria Evangelia (Evangelia synoptica) in multis convenire ita ut non solum *easdem* res referant, sed saepe etiam *iisdem verbis*, ad hoc factum expli-

candum supponit ab initio unum tantum Evangelium admodum breve scriptum fuisse lingua Aramaea, seu Syro-Chaldaea, praecipua Christi facta et dicta continens; quod statim in linguam Graecam conversum coepit in omnibus Ecclesiis legi, et fidelium manibus versari. Hoc appellat *Evangelium primitivum* seu *Proto-Evangelium* (Germanice *Ur-Evangelium*). Cum autem multi coepissent huic compendio quaedam addere vel mutare, decursu temporis factum est ut in varijs Ecclesiae partibus tres evaserint diversae eiusdem Evangelii editiones, quae sunt ipsa tria nostra Evangelia; quae quidem Matthaeo, Marco et Lucae adscripta sunt, non quod ab iis fuerint conscripta, sed ex eo quod diversae essent opiniones de Evangelii illius primitivi auctore, quod diversae Ecclesiae diversis illis auctoribus tribuere solebant.

Hanc hypothesim cum plausu exceperunt alii etiam critici heterodoxi, inter caeteros Gratz, et Marsh Anglicanus Episcopus: qui tamen ut clarius explicent transformationem illius Proto-Evangelii supponunt illud periisse, et paulo post a diversis fuisse memoriter restitutum; quapropter ubi memoria fidelis fuit inter se conveniunt; ubi vero eos fecellit, vel etiam data opera unusquisque aliquid addere voluit, apparet discrepantia (1).

*Resp. 1<sup>o</sup>* Dato etiam quod huiusmodi hypothesis nullam intrinsecam absurditatem contineret, ideo tamen esset reiicienda, quod historiae non respondeat. Cum enim de factis agitur non quid fieri

(1) Ulterius progressus est Strauss in *vita Iesu* affirmans quatuor nostra Evangelia saeculo secundo exarata fuisse, non ex aliquo praesistente Evangelio sive scripto sive non scripto, sed ex mera traditione populari exaggerata, et mythicis adiunctis plena. Quid in hac reseruat postremus impietatis coryphaeus E. Renan difficile est iudicare: ita enim vago scribendi genere delectatur iste scriptor, ita incohaerenter loquitur, ut saepe eas mens deliniri nequeat: ita ex. gr. in *Vie de Jesus* Introd. p. XXXVII, dicit se admittere authenticam Evangeliorum, eaque dicit esse *plus minus* eorum auctorum quibus tribuuntur: « J'admets comme authentiques les quatre Evangelies. Tous, selon moi, remontent au premier siecle, et sont à peu près des auteurs à qui on les attribue. » Verum antea expresse negaverat authenticam Evangeliorum, nam ibid. p. XVI. de Evangelistis loquens ait eos proprie auctores Evangeliorum non esse, sed solum Evangelia iuxta eorum doctrinam ab aliis scripta fuisse, et eorum nomine ornata. — Alii Rationalistae genuina esse Evangelia plerumque non negant, sed, iis admissis, ut veteres Gnostici, eorum sensum pervertunt, pravisque explicationibus ad sua placita trahere conantur.

potuit, sed quid revera factum sit quaerendum est. Iamvero nihil magis historiae testimonio repugnat, quam hypothesis de qua loquimur. Vetusissimi enim scriptores qui de Evangeliorum origine loquuti sunt, nusquam commemorant Evangelium aliquod primitivum variis deinde modis auctum et immutatum, sed absolute affirmant Matthaeum, Marcum, Lucam et Iohannem suum quemque Evangelium exarasse; circumstantias etiam scriptionis commemorant, uti de Evangelis Matthaei et Marci faciunt Papias et Iohannes presbyter Apostolorum coevus, et de omnibus Evangelis Irenaeus, Tertullianus, et Origenes ad traditionem antiquiorum appellantes: inutile esset hic eorum testimonia repetere, quae superius a nobis recitata sunt. Neque ab his dissentiunt posterioris aevi scriptores, qui ex diligenti indagatione historiam primitivae Ecclesiae narrant ut Eusebius (H. E. III, 23, et alibi) et Hieronymus in Catalogo. Quare existentia illius primitivi Evangelii inter somnia amandanda est, et nostra Evangelia tamquam originaria suorum auctorum opera sunt habenda, nisi historiae contradicere et facta ad libitum confingere velimus.

Accedit 2<sup>a</sup> adversariorum hypothesim internis Evangeliorum characteribus repugnare: siquidem unumquodque Evangelium suum proprium habet characterem ab aliis distinctum, ad scopum specialem dirigitur, stylum proprium et uniformem praesertit; quae omnia ostendunt singula Evangelia a suis auctoribus prodiisse in ea forma quam nunc habent, non autem ea ex communi fonte et posterioribus accessionibus fuisse consarcinata.

Denique 3<sup>a</sup> hypothesi, de qua loquimur, minime necessaria est ad explicandum factum illud, cuius explicandi gratia excogitata fuit, scilicet *concordantiam verbalem* inter Evangelia. Potest enim hoc factum aliunde explicari, servata Evangeliorum authentia et originalitate, quam tota antiquitas uti certam semper habuit. Explicationes a criticis allatae sunt praecipue sequentes. Alii repetunt concordiam verbalem Evangeliorum a divina inspiratione, neque hoc falsum ostendi potest: licet enim divina inspiratio generatim loquendo ad verba stylumque sermonis non extendatur, ut suo loco videbimus, nihil tamen prohibet dicere in quibusdam locis gravioris momenti etiam strictiorem hanc inspirationem Evangelistis concessam fuisse. Verum huiusmodi responsio nec ipsa necessaria videtur, cum possint etiam naturales assignari causae, quae factum illud suffi-

cienter explicent. Hug sibi videtur veram rei causam invenisse in eo quod posteriores Evangelistae nonnulla ex praecedentibus Evangelis exscripserint. Cum enim, inquit, certum sit Marcum plures annos post Matthaeum, et Lucam diu post utrumque scripsisse, et ex alia parte certum sit posteriores priorum scripta non ignorasse; quid vetat supponere eos aliqua ex illis ad verbum in suum Evangelium derivasse? — Haec hypothesi nihil quidem absurdi continet; verum non satis cum historia Evangeliorum ab antiquis Patribus narrata convenire videtur: siquidem singuli Evangelistae ad diversum scopum et pro diversa occasione scripsisse narrantur, et nusquam dicuntur ex praecedentibus Evangelis materiam aut verba hausisse, sed Marcus quidem *ex Petri praedicatione* (Papias, Irenaeus, Origenes etc.), Lucas vero ex Pauli sermonibus et ex caeterorum Apostolorum diligenti consultatione (Vid. praeter citatos auctores Tertullianum, Hieronymum, et ipsum Lucam 1, 2, 3). Itaque satius erit simpliciore ac magis obviam explicationem admittere, quam A. Norton aliique proponunt: supponamus scilicet Evangelistas ideo inter se convenire aliquando etiam in verbis quia eadem verba memoriter conservabant. Ut id facilius intelligatur animadvertimus imprimis identitatem verbalem Evangeliorum synopticorum in paucis tantum inveniri. Calculo enim instituto, apparet Evangelia Matthaei et Marci vix in sexta parte convenire, utrumque vero cum Luca comparatum multo minorem exhibere verbalem concordiam. Notandum insuper est concordiam illam fere tantum in verbis Christi et Apostolorum referendis observari. Porro verosimile omnino est Apostolos sermones Christi in memoria conservasse, eaque postea discipulis Marco et Lucae communicasse. Facilius etiam id concedatur, si animadvertatur Apostolos tum ante tum post Christi mortem simul vixisse ac de rebus ad praedicationem Evangelii pertinentibus inter se contulisse: ex quibus nihil gravioris momenti aut magis Apostolis desiderandum videbatur, quam ipsa magistri verba accurate recolere et conservare. Cum igitur ad scriptionem Evangeliorum post plures annos ventum est, singuli seorsim eosdem Christi sermones iisdem verbis retulere. Confirmatur haec hypothesi ex characteribus ac moribus Orientalium, ex quibus Arabes longiora etiam poemata et historiae fragmenta memoriter conservare solent, et ipsi Hebraei Rabbidorum responsa et sententias diu memoriter retinuerunt, donec scilicet secundo post Christum

saeculo in Mischnah (משנה) Thalmudis a Iuda Sancto scripto consignata sunt.

*Instant* adversarii ex modo quo Patres Apostolici Evangelia citare solent: non enim diversa citant Evangelia, sed singulariter *Evangelium* usitatis illis formulis: *Evangelium dicit, sicut in Evangelio scriptum est* etc. Ergo non plura sed unum tunc erat Evangelium, ex quo deinde quatuor nostra emanarunt.

*Resp.* Imprimis falsum esse Evangelium semper singulari numero a viris apostolicis allegari; vidimus enim Papiam, eiusque magistrum Iohannem Evangelia Matthaei et Marci nomine tenus allegantes, auctorem epistolae ad Diognetum de fide *Evangeliorum* loquentem, Irenaeum et Origenem *quatuor Evangelia* ex traditione maiorum accepta commendantes. Quod si alii Evangelium singulari numero commemorant, id Evangeliorum distinctioni ac numero non contradicit: Evangelium enim et unum et quadruplex est, unum in substantia et doctrina, quadruplex in forma; unum quod pertinet ad principalem eius auctorem Christum, quadruplex quoad immediatos eius scriptores, nempe Evangelistas. Hinc est quod etiam post saeculum secundum, cum, fatentibus ipsis adversariis, quatuor Evangelia nec plura nec pauciora ab universa quae sub coelo est Ecclesia admissa sunt, sancti tamen Doctores, et ipsa Ecclesia in liturgia ac divinis officiis unicum appellat Evangelium in illa consueta formula: < sanctum Evangelium secundum Matthaeum, secundum Marcum etc. >

*Instant* nonnulli ex recentissimis rationalistis cum Gieseler, De Wette, Schleiermacher aliisque, saltem primitivum quoddam Evangelium *oretenu* traditum admittendum esse, quod postea a diversis fuerit litteris consignatum, atque ita quatuor evaserint Evangelia.

*Resp.* praefatam hypothesim vel prorsus falsam, vel tantum inverosimilem, vel etiam veram esse posse, prout nempe intelligitur et explicatur, quod non semper a cit. auctoribus clare, et accurate fit. Si enim nihil aliud volunt adversarii nisi Evangelium antequam scriberetur a nostris Evangelistis orali Apostolorum praedicatione conservatum et propagatum fuisse, id ultro admittimus, ac vehementer contendimus. Si vero id volunt, Evangelium sub speciali quadam forma memoriter servatum ac recitatum fuisse antequam scriberetur a nostris quatuor Evangelistis, hoc 1° dicimus inverosimile, 2° nullo prorsus fundamento inniti, imo vero

historiae Evangeliorum et veterum Scriptorum testimonis contradicere, 3° explicandum restat quomodo tanta sit inter Evangelistas diversitas, quanta reipsa apparet tum in factis tum in sermonibus Christi referendis. Si tandem id adversarii contendunt, quemadmodum Strauss, Baur caeterique scholae Tubingensis critici volunt, Evangelia nostra non ab Apostolis aut Christi discipulis, sed sequiori aetate ab incertis auctoribus ex vulgaribus de Christo traditionibus oretenu conservatis compilata fuisse, tum hypothesim absolute reiicimus, appellantes ad argumenta externa et interna superius adducta quae contrarium demonstrant.

*Obiiciunt* 2° contra Evangelium Iohannis. Nonnulli ex Rationalistis cum Bretschneider, et Baur quartum Evangelium speciatim impugnant affirmantes illud a Iohanne Apostolo conscribi non potuisse sequentibus ducti rationibus. 1° Quod Evangelium Iohannis a Clemente numquam citatur, et a Papi (apud Eusebium III, 39) omittitur, ubi de aliis Evangelistis expressam facit mentionem. 2° Quod stylus huius Evangelii ab Apostolica simplicitate recedat, et philosophicus ac mysticus sit quemadmodum in scriptis Platoniorum occurrit. 3° Doctrina de Λόγῳ manifestissime ex Gnosticorum systemate deprompta est, qui saeculo II floruerunt.

*Resp.* 1° adversariorum rationes vel coniecturas nihil adversus constans traditionis testimonium valere posse. Iohannem enim esse auctorem quarti Evangelii absque ulla dubitatione universa Ecclesia semper tenuit ut ex omnibus divinatorum librorum canonibus, nullo prorsus excepto, manifestum est. Tertullianus et Origenes, ut superius vidimus, Iohanni Evangelium quartum adscribunt, hic quidem ad traditionem generatim provocans, Tertullianus vero speciatim ad traditionem Apostolicarum Ecclesiarum, quam dicit *nostris patrocinari Evangelisti, quae proinde per illas et secundum illas habemus, Iohannis dico et Matthaei* (adv. Marcion. IV, 2, 5); Irenaeus saeculo secundo Evangelium nostrum a Iohanne scriptum affirmat cum Ephesi Asiae commoraretur (adv. haeres. III, 1); Theophilus Antiochensis (ad Autol. III, 22) Iohannis Evangelium (I, 1) citat inter Sacras Scripturas, ipsumque Iohannem inter inspiratos Scriptores nominat. Iustinus non obscure Iohannis Evangelium indicat dum *commentaria Apostolorum* ab iis, quae *discipulorum* sunt distinguit (Dial. cum Tryph. n. 103); Patres ipsi Apostolici ut Igna-

tius, Polycarpus et Hermas testimoniis ex hoc Evangelio depromptis utuntur.

2° Quod si Clemens et Papias de Iohannis Evangelio silent, argumentum est mere *negativum*, quod contra certum et positivum testimonium Ecclesiae nihil probat. Accedit posse eorum silentium probabili aliqua ratione explicari: fortasse enim Clemens ante Iohannem scripsit, quem scimus post reliquos Evangelistas, et circa finem primi saeculi Evangelium litteris consignasse (1). Quod autem Papias hoc Evangelium ignoraverit gratis adversarii affirmant, nec enim Papias libri supersunt; Eusebius autem non citat eius testimonium de Iohanne, quia id eius scopus non postulabat: siquidem in citato I. III. Hist. Eccles. Eusebius non affert antiquorum testimonia de omnibus N. T. libris, sed de iis tantum de quibus aliqua erat dubitatio, et de protocononicis (προτοκονωνικοις, ut ipse loquitur) ea tantum testimonia profert quae circumstantiam aliquam specialem auctoris vel descriptionis eorumdem aperiebant, uti est Papias testimonium de Matthaei, et Marci Evangeliiis. Caeterum Eusebius in eodem loco affirmat Papiam priorem Iohannis epistolam agnovisse (V. sup. p. 37); haec autem Evangelium supponit, eundemque prorsus auctorem praesefert.

3° Nunc pauca de internis difficultatibus. Quod stylus Evangelii quarti sublimior sit, ac magis *mysticus* quam stylus synopticorum mirum esse non debet. Imprimis enim notandum est non tam in historia texenda stylum esse sublimiorem ac mysticum quam in divina Verbi natura enarranda c. I, et in Christi sermonibus referendis, illo praesertim quem post ultimam coenam ad discipulos habuit, quem Iohannes integrum recitat a c. XIII. usque ad capitulum XVIII. Porro ad primum quod spectat ipsa argumenti sublimitas sublimiorem efficit tractationem; quam solus Iohannes attingit, non quia caeteri Evangelistae ea ignorarent, sed quia in diversis

(1) Epiphanius haeres. XXXI. 12 ait Iohannem nonagenario maiorem fuisse cum Evangelium exaravit, alii etiam (ut Saldas in *Lexico*) centenario proximum. Consentunt interni Evangelii characteres, siquidem eo consilio scriptum apparet ut divinam in Christo naturam adversus Cerinthianos et Ebionitas asserat: quae haeresis post caeterorum Apostolorum mortem, et non multo ante finem saeculi primi ortum habuit: ea etiam quae de regione circa Hierusalem leguntur (Io. XI 18, XVIII 1, XIX 41) non obscure innunt auctorem post Hierosolymae excidium scripsisse.

adiunctis et ad diversum finem Iohannes scriberet, ut paulo ante dicebamus. Quod veropertinet ad alterum locum tota diversitas ab ipso Christo repetenda est; qui post ultimam coenam iam iam mortem subiturus, et discipulos relicurus, maiori quadam sollicitudine ac intensiore charitate cordis sui secreta illis patefacit, suaeque sapientiae arcaena sublimi oratione revelat. Caeterum si quid differt Iohannis stylus a caeteris Evangeliiis posset id imprimis a peculiari Dei inspiratione repeti, quemadmodum Epiphanius, et Clemens Alex. observant, sed etiam hoc omisso, satis commode posset ex Iohannis characterem et adiunctis explicari. Cur enim non potuit *discipulus ille quem diligebat Iesus* ex intimiore cum eo consuetudine, et ex diuturniore eius dogmatum meditatione profundius ea penetrare, et sublimius edicere?

4° Quod denique addunt adversarii de Gnosticis ineptissimum est. Constat enim non Evangelium a Gnosticis, sed Gnosticos ex Evangelio suam terminologiam hausisse, ut *expresse* tradunt Irenaeus et Epiphanius; ipsique Gnosticorum coryphaei Valentinus et Heracleon Evangelium Iohannis agnoverunt, et commentati sunt, ut suo loco vidimus.

*Instat* denique Strauss, varias adducens contradictiones, in quas dicit Evangelistas incidisse.

Cui *respondemus ad hominem*, negantes consequentiam. Cum enim adversarius divinam inspirationem non admittat, ex suppositis hisce contradictionibus circa res et adiuncta levioris momenti, multo melius ei esset concludere auctores N. T. in aliquot errores incidisse, quam eisdem libros N. T. abiudicare. Ceterum nullas *reales* contradictiones inter Evangelistas existere alio loco demonstrabitur.

*Obiiciunt* 3° contra epistolas *pastorales* Pauli. Duae Pauli epistolae ad Timotheum et una ad Titum *pastorales* vocantur eo quod de officiis Ecclesiae pastorum tractant. De his itaque dubia moverunt Schleiermacher, et Eichhorn, quorum alter primam ad Timotheum speciatim ut spuriam reiecit, alter vero etiam alteram, una cum epistola ad Titum, opportune animadvertens tres illas epistolas ita similes esse inter se, uniusque auctoris manum ita praesefere ut vel omnes simul ut genuinae recipiendae sint, vel omnes ut supposititiae habendae. Rationes quibus ducentur, sunt praecipue sequentes. — 4° Arguunt ex stylo, ex quo dicant apparere auctorem

harum epistolarum Pauli phrases ac dicendi modum imitari voluisse quin tamen id ei e voto succedat; hinc plures etiam voces adhibet, quae in Pauli epistolis nusquam recurrunt. - 2° Ex contradictionibus quas dicunt inter has epistolas existere ex. gr. in 1° Tim. I, 20. Alexander et Hymenaeus uti falsi doctores et haeresum seminatores exhibentur, contra vero in 2° epistola cum Hymenaeo non Alexander coniungitur, sed nescio quis Philetus (II, 17), Alexander autem non falsus doctor, sed aeriarius fuisse dicitur (IV, 14). - 3° Denique in epistola ad Titum I, 12 notant paganum scriptorem allegari, scilicet Epimenidem, eumque prophetam appellari: « *Dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri.* » Quod Paulus certe nunquam scripsisset.

*Resp.* futilia haec esse et nullius prorsus momenti ad convellendum totius antiquae traditionis testimonium. Praefatas enim epistolas Apostolo semper adscripsit Ecclesia, ut ex citatis superioris testimonii patet; eas scilicet nominatim laudant Origenes, Tertullianus, Irenaeus, Canon Muratorianus; ad eas appellant Hermas, Clemens Romanus alique Apostolici viri, eas denique usque ab initio tamquam pastoralium officiorum exemplar ac normam Patres habuerunt. - Ad styli diversitatem respondemus eam ex diversitate argumenti repetendam esse, si tamen diversitas haec revera existit, quod ab adversariis gratis affirmari videtur. Quod autem voces quaedam occurrant nusquam alias a Paulo usitatae, nihil probat: quid enim? nonne poterat Paulus alias atque alias voces ad sua cogitata exprimenda usurpare? Si haec ratio valeret, reiiciendae quoque essent aliae Pauli epistolae in quibus singulares voces et *απαξ λεγομενα* occurrunt, puta epistolae ad Philippenses et ad Galatas. - Quod pertinet ad contradictiones, dicimus eas nullas prorsus esse; ex eo enim quod in 2° ad Timotheum Philetum cum Hymenaeo coniungat, non sequitur etiam Alexandrum cum illo non fuisse; quod autem iste aeriarius dicatur optime conciliari potest cum falsi doctoris caractere qui illi in superiore epistola tribuitur; neque enim in historia primitivae Ecclesiae novum est haereses a viris plebeis fuisse aliquando in Ecclesia disseminatas. Quid demum responderet adversarius si negare vellemus Alexandrum hunc de quo in 2° epistola eundem esse ac illum de quo in 1° fit sermo? Certe ipse unum eundem hominem fuisse demonstrare nequit. - Ad ul-

timam difficultatem ex citatione Epimenidis animadvertimus neminem Paulo velare potuisse quin ad profanos scriptores appellaret, cum id ad rem facere videretur. Porro testimonium Epimenidis et in se verum erat, et ad Pauli scopum conducebat, monendi scilicet Titum Cretensi Ecclesiae praepositum de gentis illius moribus et de ratione cum illis agendi. *Propheta* autem Apostolus Epimenidem vocat non absolute, et ex propria sententia, sed ex Cretenesium opinione, ait enim: *proprius ipsorum propheta*; et quod reapse auctor ille apud suos uti propheta haberetur, aliunde scimus: non solum enim generatim poetae a paganis divino quodam spiritu afflati dicebantur (1), verum etiam in specie isto Epimenides veluti spiritu deorum afflatus ab Aristotele exhibetur (Rhetoric. I. III, c. 18), et a Platone (De Legibus I. II.) *divinus* appellatus est, et a Tullio (De divin. I. I) futura praedixisse dicitur: quare a Creten-sibus post mortem divinos receipt honores teste Plutarcho in *Solone*.

Haec de difficultatibus contra libros protocanonicos adductis sufficiant; graviore enim quae contra deuterocanonicos afferri solent in sequentibus Thesis expendemus (2). Sed antea sit:

(1) Cicero in Orat. pro Archia poeta ait: « Noster Ennius sanctos appellat poetas quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur. »

(2) Varias Rationalistarum cavillationes ad examen revocare placuit quemadmodum et in reliquo opere data occasione praestabimus: hi enim sunt hostes quibuscum hodie certandum est, hostes, inquam, non unius tantum aut alterius dogmatis sed totius penitus fidei, cuius bases ipsas ac fundamenta convellere conantur. Exinde discant tyrones quid de nova haec, quam vocant, scientia indicandum sit, quam arroganter contra coelestem Ecclesiae doctrinam opponunt, et sub magnorum nominum umbra incautus obrudant. Scilicet, si paucos excipias, vanissimum hoc est scriptorum genus, qui nuper sacros Libros vexandos potiusquam tractandos ausuperunt: qui totum vitae suae tempus in codicibus exentiendis et grammaticorum minutis rimandis insumunt, de vera autem sapientia ac salutis doctrina, quae in sacris Scripturis continetur vix unquam cogitant: sudant et algent ut nova in dies systemata aedificent brevi collapsura ut novis superextruendis dent locum: nullis laboribus parent ut rebus clarissimis tenebras affundant: absurda quaeque devorant ne illa cogantur admittere quae Deus per sanctos suos nobis revelavit, quaeque per decem et octo saecula sapientissimo cuique certa ac explorata semper visa sunt; *semper discentes at nunquam ad scientiam veritatis pervenientes*. Cum hoc adversariorum genere hanc proliandi viam tenere propositum est: nempe aliquando, eam res id postulare videatur, non recusabimus in arenam philologiae et philosophiae cum